

**N**eritatis hoc semper fatum fuit, ut, quô plures sui  
sparserit atq; illustriores radios, eò tenebris siori-  
bus officijs atq; fraudibus involvere ipsam conen-  
tur pessimi nebulones ac versuiloqui calumniatores & syco-  
phantæ. *Hec est conditio veritatis*, scribit Hieronymus (in c. IV.  
*Galat. v.16.*), *ut eam semper inimicitiae sequantur, sicut per adulatio-*  
*nem perniciosa amicitiae conquiruntur: Libenter enim, quod dele-*  
*ctat, auditur, & offendit omne, quod nolumus. Amara est veri-*  
*tas, inquit idem (lib. II, advers. Jovinian. circa fin.), & qui eam*  
*prædicant, replentur amaritudine.* At interim tamen, dicente  
Augustino (epist. ix, ad Hieronym.) incomparabiliter pulchrior  
est veritas Christianorum, quam Helena Graecorum: pro istâ enim  
fortius nostri martyres adversus banc Sodomam, quam pro illâ illi  
beroës adversus Trojam dimicaverunt. Hinc & idem (adeum d.  
epist. XIX.) dubitat, utrum Christianæ amicitiae putandæ sint, in  
quibus magis valet vulgare proverbium, *Obsequium amicos, veri-*  
*tas odium parit; quam ecclesiasticum, Fideliora sunt vulnera ami-*  
*ci, quam voluntaria oscula inimici.* Rectè itaq; & piè iterum Hier-  
onymus aut quisquis autor fuerit illorum Commentarior. in  
*Psalm. CXLVI, 6: Si nos opprimit mendacium, non contriste-*  
*mur, Custodit Dominus veritatem in seculum.* Nescio quis con-  
tra nos mentitus est, & magis illi creditur mentienti, quam no-  
bis verum dicentibus, non debemus desperare: *Custodit Domi-*  
*nus veritatem in seculum.* Pulcrè dixit, *Custodit.* Custodit illam  
& habet in thesauro suo: reddet nobis, quod servavit. Qui cu-  
stodit veritatem in seculum, Christus est veritas. Veritatem lo-  
quamur, & veritas nobis servat veritatem. Nempe (quod gravis-  
, simè simul & verissimè ad Dioscorum scribit Augustinus epist. LVI.)  
nullo modo ad assequendam veritatem melius consuli potuit  
, generi humano, quam ut homo ab ipsâ veritate suscepimus inef-  
fabiliter atq; mirabiliter, & ipsius in terris personam gerens, re-  
, cta præcipiendo & divina faciendo salubriter credi persuade-  
ret,